

Construcción del Arca.

Postquam numerus hominum crevit, omnia vitia invalere. Quare offensus Deus statuit perdere hominum genus diluvio. Attamen pepercit Noemo et liberis eius, quia colebant virtutem. Noemus admonitus a Deo exstruxit ingentem arcam in modum navis, linivit eam bitumine, et in eam induxit par unum omnium avium et animantium.

Diluvio universal; año del mundo 1656.

Postquam Noemus ipse ingressus est in arcam cum coniuge, tribus filiis et totidem nuribus, aquae maris et omnium fontium eruperunt. Simul pluvia ingens cecidit per quadraginta dies et totidem noctes. Aqua operuit universam terram, ita ut superaret quindecim cubitis altissimos montes. Omnia absumpta sunt diluvio: arca autem sublevata aquis fluitabat in alto.

Fin del diluvio.

Deus immisit ventum vehementem, et sensim aquae imminutae sunt. Tandem mense undecimo postquam diluvium coeperat, Noemus aperuit fenestram arcae, et emisit corvum, qui non est reversus. Deinde emisit columbam: cum ea non invenisset locum ubi poneret pedem, reversa est ad Noemum, qui extendit manum et intulit eam in arcam. Columba rursus emissa attulit in ore suo ramum olivae virentis, quo finis diluvii significabatur.

Sale Noé del arca.

Noemus egressus est ex arca, postquam ibi inclusus fuerat per annum totum ipse et familia eius: eduxit secum aves ceteraque animantia. Tum erexit altare et obtulit sacrificium Domino. Deus dixit illi: "non delebo deinceps genus hominum: ponam arcum meum in nubibus, et erit signum foederis, quod facio vobiscum. Cum obduxero nubes caelo, arcus meus apparebit, et recordabor foederis mei, nec unquam diluvium erit ad perdendum orbem terrarum."



Vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est
qui minimis urgetur. (Horatius)

Nemo sine vitiis nascit; optimus ille est qui minimis urget.

Si uis amari, ama. (Seneca)

In necessariis, unitas; in dubiis, libertas; in omnibus, caritas. (S. Augustinus)